

Jahresbericht

über

das Gymnasium zu Sorau

womit

zur Osterprüfung (den 20. und 21. März) 1837

alle Beschützer, Gönner und Freunde der Schule

ergebenst einladen

Rector und Schulcollegen.

Voran geht eine Abhandlung vom Conrector Dr. Hanow:

DE AUGUSTI PRINCIPATU.

Sorau,
gedruckt bei J. D. Rauert.

Rudolphi Hanovi

COMMENTATIO DE AUGUSTI PRINCIPATU.

Quemadmodum, qui generosis parentibus orti sunt, summa et admiratione et uoluptate in maiorum intuentur imagines, sic, quicumque in historiis studium et operam collocamus, quasi maxuma cincti ac nobilissuma corona maiorum, ut filii parentes, obseruamus omnis, qui de humano genere bene meriti sunt, impense lætamur bene sapienter fortiter factis, ægerrume ferimus, si egregiam quandam uirtutem macula uidemus aspersam uel tenuissuma, lubenterque cognoscimus consili uestigia diuini. Nam quod Francogallus ille „aërias" se profitetur „tentasse domos animoque rotundum percurrisse polum," nec usquam, quamuis cupientem, repperisse deum, aliusque Francogallus historiam nihil ducit, nisi cuiusque generis scelerum et flagitiorum testem, id quidem ab omni humanitatis sensu tam alienum est tamque barbarum et immane, ut „animus" hæc et talia „meminisse horreat luctuque refugiat." Uerumtamen, quoniam historia debet collustrari facibus ueritatis, intuma illa animi uoluptas comprimenda nonnumquam est, audiendumque non tantum, set etiam accipiendum, quod uerum est; contra ea fortiter resistendum, ubi præter ueritatem suspiciose quædam et criminose dicta sunt. Sic ingentem nobis iniecit dolorem Drumannus, quod eum uirum, qui Niebuhrio auctore histor. Rom. I. p. 692. consulari imperio annum eumque unum totius uitæ instar, ingenio autem semper rei Romanæ princeps fuerat, patriæ legumque fuisse contemptorem ac pæne euersorem significauit; — nam dolere quidem nunc licebit; contra autem dicemus alio tempore non deterriti eis, quæ nuperrume in ludi magistrum euomuit inhumanissume —. Recens adhuc memoria est eorum, quæ Niebuhrius Xenophonti exprobrauit. Contra ut Fridericianum illud astrum prætermittamus, quod nubibus disiectis in plena luce collocatum a Raumero est, ut de Waldsteinio, acriter a Foerstero defenso, taceamus, magna debetur laus Ahrensio, qui propugnator

extitit Tiberi Gracchi, magna Lœbelio, quod Augustum conatus est iniuriis diu propagatis liberare commentatione de Augusti principatu, quæ in Raumeri Annal. histor. P. V. inest.

Set a Lœbelio quoniam res incohata quidem feliciter et aliquamdiu gesta, set non ad finem perducta uidetur, et quodammodo deserta esse, quid illud sit, in quo dissensio uersetur nostra, quamquam plene exponere huius loci uetamur finibus, tamen significare breui statuimus.

Cum uolgaris hæc sit de Augusti principatu opinio, ut summis quibusque magistratibus in se receptis imperium uideatur constituisse, dubitatio Lœbelio oborta est ex eo, quod consulatum, qui quidem magistratus regum loco institutus est, anno 731 = 732 et proxumis ad finem uitæ, exceptis duobus annis, gerere recussarit. Set huius quidem rei aliam caussam quæri oportere. Itaque consulatum ab Augusto reiectum esse hoc consilio, ut intellegerent aliquando Romani, gubernacula rei publicæ tenenti non opus esse consulatu, imperatoremque esse re publica maiorem. Set eundem, ut Romanis, si forte tardiores essent ad intellegendum, hac de re grauiter persuaderetur, constituisse imperi sedem Troiam transferre. Quocirca repudiandam esse Dionis memoriam 54, 10, qui consularem Augusto potestatem mandatam scribat a. 734 = 735.

Cui quidem coniecturæ quid tribuendum sit, planum erit, ubi, qui qualisque consulatus Augusti ætate fuerit, qua ratione is et rerum potitus et in re publica administranda tenendaque uersatus sit, quid de imperi Troiam transferendi consilio et de Dionis fide statuendum uideatur, paucis explicauerimus.

Tamenetsi anticus ille consulatus, qui summus rei publicæ honos fuerat, eis temporibus, quibus Sylla dictator atrocissuma caede rem publicam lacerabat aut Caesar Pompeius et Crassus triumuiri rei publicae constituendae suo arbitrio Romanis imperabant aut Caesar dictatoris nomine unus rebus praeerat, aliquantisper desierat esse, Octauianum tamen eius honoris tam cupidum fuisse, ut teste Suetonio Octau. c. 26. Cornelius centurio, quem consulatum postulaturum ad senatum misisset, dum gladi capulum ostenderet, non dubitaret in curia dicere: *hic faciet, si uos non feceritis,*" mirum accidere non debet. Reuiuiscebat enim quodammodo post Caesaris mortem antiqua res publica; sua cuique magistratui et ordini potestas ac

dignitas uidebatur restituta, non impediente uel dictatore uel triumuiris. Itaque Octauianus, Ciceronis potissumum auctoritate propraetor appellatus ac post Antonium pulsum imperatoris nomine honoratus, cum bellum contra Antonium perficiendum praeter expectationem suam senatus D. Bruto mandasset, consulatum primum et petiit et consecutus est a. 710 = 711. Post eodem anno triumuiratum iniit rei p. constituendae cum M. Aemilio Lepido et M. Antonio. Triumuiratus autem, qui magistratus erat rei publicae ordinandae, nihil erat nisi consulatus, accedente magistratuum electione et prouinciarum grauissumarum administratione; sic Appianus B. C. IV, 2. *καινὴν* eum *ἀρχὴν ἴσον ἰσχύουσαν ὑπάτοις* appellat. Quocirca Octauianus et eo ipso anno sese abdicauit consulatu, nec triumuiratus primi quinquennio aut continuati altero umquam eo honore usus est, nisi ultumo triumuiratus secundi anno 720 = 721, idque unum tantum diem teste Cassio Dione 49, 43, simili fortasse de caussa, qua postea consulatum duodecimum et tertium decimum petiit, u. Dion. l. c. et Sueton. Octau. c. 26. Alter triumuiratus quamquam e lege finem habuit ultumo a. 720 = 721, cfr. Drumann. Hist. Rom. I. p. 371, re ipsa tamen durauit, quia nemo erat, qui aut Octauiano aut Antonio summam potestatem detraheret; itaque proxumo anno 721 = 722 nec Octauianus nec Antonius consulatum gessit, Lepidus enim ad priuatam uitam redactus erat. Set eodem anno Octauianus cum Antonio debellandi tempus adesse ratus ecfecit, ut Antonio consulatus, cui se ipsum cum Antonio in proxumum annum destinarat, abrogaretur, omnisque, quam praeterea habebat potestatem, demeretur, u. Cass. D. 50, 4, dum ipse quasi quadam tacita populi consensione et consulatum proxumi anni retinebat, et quam praeterea habebat potestatem, h. e., si uerum dicimus, triumuiralem, consulatu maiorem. *Consulatus* igitur *nomine* rem gessit contra Antonium, *potestate* usus *multo maiore,* ut uerissume Tacitus I Annal. c. 2. de Augusto dicat: posito triumuiri nomine *consulem se ferens*" —. Post pugnam Actiacam, Antonium deuictum, Aegyptum subactam, Asiamque constitutam, a. 724 = 725, quo quintum gerebat consulatum, Romam redux cum animo suo et amicis deliberauit, num armis positis senatui populoque res committeret, u. Dion. 51, 1. Disiecta haec dubitatio est Maecenatis potissumum consilio; quam obtinuerat, nulla lege sanciente, potestatem summam retinens, ut lege sanciretur, curauit. Imperator enim appel-

latus est quinto consulatu, non illo honoris titulo, quo iam fuerat ornatus post Antonium Mutina pulsum, set *potestatem* habente *extraordinariam*, id quod plane testatur Cassius Dio 52, 41. Eundem tamen accepimus consulem fuisse continuum ab a. 724 = 725 ad a 730 = 731, deinde magno interuallo bis 748 = 749 et 751 = 752. Qui imperator erat ea potestate ornatus, qua Octauianus, auctoritatis quendam fructum e consulatu percipere non poterat. Quod nisi ita esset, profecto triumuiri consulatum sibi seruassent semper. *Augusti* igitur *aetate consulatus nihil nisi nomen erat.*

Post Antonium deuictum certum atque idoneum summae potentiae fundamentum ab Octauiano iactum erat, duplexque altiora petenti patebat uia. Aut enim persequi poterat eam, quae ad summam potentiam ducebat, aut recedens a re publica summam rerum committere populo Romano. Hoc si fecisset, alia ut taceam, ne patriae quidem amantem se ostendisset. Primum, quod restabat, rursus duplici modo consequi licebat, aut citato gradu rectaque uia aut lente et ambagibus. Utram instituerit uiam, etiamsi historia ea de re plane taceret, e natura eius ingenioque et prius factis recte existumaris. Cum primum ad rem publicam accessit, non minus Antonium quam Caesaris interfectores senatumque in odio habebat. Set Antonium grauiorem inimicum ratus, ad senatus partes Brutique societatem se adiunxit, donec Antonius de gradu deiectus est. Tum senatu Brutoque deserto, et cum Antonio ac Lepido triumuiratu inito, communis hostis non modo deuicit, set ad internecionem deleuit. Post haec eximia quadam modestiae specie Orientem omnibus rebus abundantem Antonio permittens, Italiam diuturnis bellis plane exhaustam sibi seruauit, nimirum quoniam Romae tamen proprium imperi Romani domicilium erat, quoniam Antonius a senatu, qui Romae erat, poterat hostis iudicari rei publicae, quoniam ueri simile erat, fore, ut Antonius, mollis homo et lubidinosus, Orientis illecebris captus mollitie diffiueret. Callidum hominem uides bis cum inimicis amicitias iunxisse, nihil secutum, nisi temporum rerum hominumque opportunitates; eundem uides, quae inferiora et infirmiora uiderentur, praeferentem ad summa tendere. Adde, quod Octauianus talem se praebebat admodum adolescens; adolescentiae enim cum soleat esse animus sincerus et apertus, callidam simulationem Octauiano quasi innatam fuisse apparet. Ex quibus cum summa prudentiae et calliditatis admiratione certa exorietur

persuasio de Octauiani consiliis factisque; *caute enim, circumspecte, callide, subtiliter, prudenter omnia agere, id quidem Octauiani simillumum habebitur.* Idemque aperte declarant illae, quas in ore habuisse dicitur uoces: „σπεῦδε βραδέως" et „ἀσφαλὴς γάρ ἐστ' ἀμείνων ἢ θρασὺς στρατηλάτης," et sat celeriter fieri, quidquid fiat satis bene," et praecipue: minima commoda non minimo sectantes discrimine similes esse aureo hamo piscantibus, cuius abrupti damnum nulla captura pensari posset, u. Suet. Octau. c. 25. Perspicuum est igitur, utram uiam Octauianus ingredi debuerit, naturam suam indolemque secutus ac posterius facta ad prius factorum similitudinem accommodans. Set hoc antequam persequamur, paucis licebit ostendere, lentam tectamque agendi rationem non minus rerum hominumque condicione, quae tum Romae erat, quam Octauiani uoluntate et indole fuisse praescriptam. Sub Augusti principatu uerso ciuitatis statu nihil umquam prisci et integri moris fuisse Tacitus auctor est I Annal. 4. Idem saepius adfirmat, „atroces Catones" bellis et proscriptionibus fere consumptos fuisse. Set Macenas in oratione, quam ab eo habitam finxit Cassius Dio 52, 17 et proxumis capitibus, si Augustus principatu se abdicasset, Lepidos, Sertorios, Brutos, Cassios non paucos futuros significat. Fictam orationem esse nemo facile erit qui neget; nec tamen uelut aegri somnia te habere opineris; apertum est enim, Dionem ex rerum ab Augusto gestarum satis plena et accurata cognitione duxisse, quae Agrippam et Maecenatem loquentis faceret. Antonius ante bellum Actiacum, suorum animos firmius sibi deuincturus, post uictoriam statim imperium sese senatui populoque redditurum pollicetur; quod quis credat eum facturum, nisi esse, quibus id gratum accideret, certo sciuisset. Paucis annis post Antonium deuictum a. 724=725 Augustus, quod multos senatores aliosque Romanos, qui Antoniani fuerant, suspiciosos difficilesque etiamtum uidebat, ne nouas res molirentur cauturus, litteras penes Antonium inuentas omnis simulauit combustas, u. Dion. 52, 42. Idem Augustus postquam primum a. 726 = 727 consilium suum a re publica recedendi patefecit, teste Dione 53, 11 longe diuersi erant senatorum animi, quorum alii tamquam simulationem oderant, alii fidem habebant eius uerbis. Proscriptos et proscriptorum filios, uelut C. Carinam et Q. Lucretium Uespillonem, honoribus datis sibi studuit conciliare, u. Dion. 51, 21. 54, 10. Idem L. Sestium, qui olim Bruti castra secutus erat, nec Bruti

amorem summum umquam celabat, ipse in suum locum consulem nominauit, u. eund. 53, 52. Notissumae sunt seditiones, bis propter consulatum coortae; non rarae erant insidiae Augusto structae. Leges rogantem de morum emendatione non dubitarunt senatores conuiciis petere, u. Dion. 54, 16. Antistium Labeonem notum est acriter carpsisse Augustum, custodiam corporis postulantem, u. Dion. 54, 51. Set longum est, omnia id genus persequi, satisque in aperto est, fuisse etiamtum Romanos, qui unius principatum iniquo ferrent animo, quosque aut ferro et igni delere, aut circumspiciendo, cunctando, indulgendo sensim ad imperi patientiam adducere oportebat. Restat, ut, quoniam Augusti naturam atque indolem et prius facta pariter atque rei Romanae condicionem flagitasse ostendimus, ut lente cauteque ageretur, res ipsas rationis necessitati respondere demonstremus. Quam, triumuiratu finito, potestatem triumuiralem retinuerat, tribunicia potestate auctam, u. Dion. 51, 19, populo se redditurum professus est a. 726 = 727 teste Dione 53, 2, set cogi se passus est, ut imperium retineret. Suscepit igitur decem annorum imperium. Idem consilium renouatum annis 735 = 736, 745 = 746, 750 = 751, 765 = 766, et Dione teste 56, 6, 12. 56, 28 haut grauate abiectum. Quod modo dixi, professum Octauianum esse, se libertatem redditurum, debebam dicere: simulasse, adeoque impudenter simulasse; qui enim simulat, quod quemquam crediturum ne sperare quidem possit, impudentissume simulare, quis est quin confiteatur? Aliud est, quod non temere simulauit; quoniam enim non pauci erant, qui unius imperium toto pectore, ut dicitur, auersarentur, quod hoc imperium non tam sumere sibi, quam accipere inuitus uideri uoluit, senatu populoque iubentibus, non sane temere simulauit, set admodum prudenter. Nec quod prudenter fecit, frustra fecit. Senatus enim populusque Romanus post tam diuturna tamque cruenta bella pacis dulcedine capti gratos testificaturi animos deinceps Octauianum tribunicia potestate, censoris honore, proconsulari imperio aliisque multis ornauerunt honoribus. Quae omnia cui bono Octauianus sibi mandari passus est? Imperatoria enim, qua utebatur, potestas tanta erat, ut summam rerum manibus teneret, quae non haberet, facile sibi pro arbitrio suo tribuere posset. *Nempe satius uidebatur homini prudenti ultro data accepisse, quam arroganter sumpta tenere.* Porro Cassius Dio, postquam tribuniciam potestatem Octauiano mandatam esse tradidit 51,

19, diligenter postea commemorat 53, 32, tribunum perpetuum eundem nominatum a. 730 = 731 et ipsum et posteriores imperatores potestate tribunicia usos nomen non sumpsisse. Erant igitur Romae etiam post a. 730 = 731 tribuni plebis. Eodem loco Dio proconsulatum perpetuum Octauiano collatum scribit, quamquam proconsules ex eo tempore non desierunt esse. Breui post, cum Romani censura perpetua Octauianum ornaturi essent, hoc honore recussato, statim alios censores nominauit, ipse autem multa, quae censorum erant, perfecit, u. Dion. 54, 2, deinde a. 731 = 732 potestatem censoriam quinque annorum recepit, u. Dion. 54, 10. Quibus quid Octauianum censes spectasse? Potestas, quae tribunorum, consularium et censorum fuerat, in eum transiit, set ita transiit, ut ueteris rei publicae quasi membra et uestigia manerent; partim enim, quae olim tribunorum fuerant, iam Augustus perfecit nullo alio nisi tribuniciae potestatis nomine, quae proconsulum fuerant, fecit Augustus proconsulari imperio instructus, quae censorum, censoria potestate ornatus, partim erant etiamtum tribuni, proconsules, censores aliique magistratus. Atque hoc quidem posterius eo profecto efficacius erat, quo plures sibi Romani uideri poterant magistratus esse antiquae rei publicae. Fatendum est igitur, *prudentiam atque cautionem eandem, quam prius, in re publica occupanda ostendisse Augustum.*

Iam uidendum est, quid illud sit, quod Augustus in animo habuisse dicitur, sedem imperi Troiam transferre. De quo, etiamsi apertum extaret testimonium, dubitandum uideretur esse. Inter ea, quibus C. Iul. Caesar in summam Romanorum inuidiam incurrit, Sueton. c. 79 adfert: ualidam famam percrebruisse, migraturum Alexandriam uel Ilium translatis simul opibus imperii exhaustaque Italia dilectibus et procuratione urbis amicis permissa. Anno 732 = 733 rumor erat Romae, Antonium urbem Cleopatrae donaturum, imperiumque in Aegyptum translaturum; quo quidem rumore non tantum inimicos Antoni, set etiam amicos summa ira incensos esse Cassius Dio refert 50, 4. *Atqui haec*, ni fallimur, *propria Augusti uirtus erat, quod priorum erroribus doctus meliora est.* Quamquam Iul. Caesarem, quae eius prudentia erat, serio illud noluisse plane negamus, Antonium fortasse ebrium. At, inquit, quae tanta erat res, si Romani irascerentur. Augusti potentiam non exiguis Italiae aut deuastatae aut fere

incultae finibus circumscriptam, set in prouinciarum magno ambitu opibusque positam uides fuisse. Quod tametsi concedimus uerissumum esse, tamen Romae ipsius et prouinciarum longe diuersam rationem fuisse dicimus. Imperium Romanum tot tantasque, tam longinquas ac dissitas terras complectebatur, ut, nisi singulae quaeque partes quasi ad unum ac totum quoddam redirent, cito deberet concidere. Atque hoc illud est, cur, postquam orbis terrarum domina facta est, desiit esse res publica Romana, atque in unius principatum transiit. Set idem imperium Romanum ad tantum dignitatis et potentiae gradum ascenderat ac tot nationes lingua moribus atque institutis diuersissumas suo arbitrio rexit, quia nomen Romanum, ab Augusto ipso plurumi factum, plane augustum erat; neque enim raro hoc ipsum nomen plus ualebat, quam militum uis ingens. Atqui Augustus suum quidem imperium Troiam transferre potuit, non potuit nomen Romanum. Denique Roma quodam modo cincta erat undique prouinciis Romanis, ut ad Orientem et Occidentem, rursusque ad Meridiem ac Septentrionem aeque longum pateret iter. Troia autem maxumo interuallo distabant Galliae atque Hispaniae, non difficiliores ad domandum, quam periculosiores, si forte parerent Augusti aduersario cuidam. Atque haec quidem omnia Augustum, qua prudentia erat et sagacitate, non ignorasse, cum res ipsa docet, tum quaecumque ab eo instituta accepimus. Set sciendum est, consilium illud Augusti, quod dicitur, non ullius niti fide scriptoris, set coniectura ductum esse de quodam Horati carmine. Quo ex genere quot et quanta non dicta Horatio sint, sed adficta, quis est qui ignoret? Carminis, quod libri terti tertium est, ratio haec est. Horatius, Romanos celebraturus laudibus et principium Romani imperi, Romulum dis additum, proponit et summum potentiae fastigium sub Augusto. Has laudes aptiori personae, quam Iunonis, Troianis inimicissumae, tribuere poeta non potuit. Itaque ingeniose inuentum repetiit IV Carm. 4, Hannibalem loquentem faciens. Set illa implacabile Troiae odium ita finiuit, ut Troia deleta, „reliquias Danaum atque immitis Achilli" seruaret atque ad astra eueheret aut euehi pateretur. Quae ut sibi constaret, hoc debebat inculcare, Romanorum magnitudinem quasi superstructam esse Troiae excidio. Nec uersus 57 et proxumi cum prioribus non cohaerent, set quasi recipiunt, quae significata erant u. 37 et proxumis. Sic et pes et caput uni redditur formae, nec locus ullus coniecturae

ulli restat. Accedit, quod tantum consilium nec a Suetonio, qui diligentissumus habetur scriptor, quique idem de Caesare adnotauit, nec ab alio quoquam scriptore memoriae proditum esse, quam maxume mirum uideatur.

Transimus ad Dionem. De cuius fide uniuersa quaerere quamquam alienum a nostro instituto est, tamen quemadmodum Augusti historiam scripserit, breuiter ostendendum est. Ac primum quidem hac laude non priuabitur, quod plene Augusti res exposuisse uideatur; neque enim repperimus praetermissum quidquam, quod quidem memorabile uideretur. At plene scribentes non raro in eum errorem incurrunt, ut undique omnia congerant atque corradant, neque, quid uerum sincerumque sit, inuestigent. Hac suspicione Dionem longe maiorem esse, lubenter confitebitur, quicumque, quae ab eo de historia imperatorum scribenda exposita sunt 53, 19., diligenter legerit. Antea enim publice omnia in senatu aut in comitiis acta communi omnium cognitioni patuisse, iam priuato consilio pleraque geri nec in uolgus emanare, aut emanantia in uolgus non credi; quantum fieri potuisset, audiendo legendo uidendo se ueriora, quam quae rumor ferret, exquisiuisse. Idem, ubi multos, quod insidias Augusto et Agrippae struxissent, esse accussatos commemorauit 54, 15., nihil se super hac re nisi quae publice acta essent, referre significauit; aliisque locis alia id genus extant. At, inquit, Dionem constat turpissumum esse adulatorem. Audio, set Augusti esse adulatorem plane nego. Satis est hoc unum adtulisse. Quam de Augusti ingenio ac moribus profert sententiam 56, 43 et 44, ea tantum abest, ut turpiter sit adulantis, ut hodie illum in maiore etiam honore habeamus. Compone cum Dione Uelleium Paterculum, maxume ubi Tiberi res refert: habebis hic consummatam quandam turpitudinis speciem, illic scriptorem, non inquirentem illum in rerum caussas et uim, set plerumque nude relata referentem, nonnumquam certe uerborum copia altius adsurgentem. Set a Loebelio memini id etiam uitio datum Dioni, quod studeret demonstrare, rei publicae condicionem, qualis sub imperatoribus fuisset, non imperatorum arbitrio natam, set rerum esse necessitate populique Romani uoluntate profectam. Si quid aliud, illud maxume eo spectare uidetur, quod bis 53, 19. 54, 6. eisdem uerbis adfirmat, non iam Romanos, si salui esse uoluissent, populari potuisse uti imperio. Set id quidem, si uerum dicimus, eiusmodi est, ut, si non animaduersum a Dione esset, iure meritoque in

stuporis cuiusdam crimen incurreret. Itaque tantum uidemur esse consecuti, ut Dioni in eis, quae de Augusto tradat, nisi de caussis grauissumis et plane necessariis, fides non uideatur esse detrahenda.

Iam illa Dionis memoria proponenda est. Postquam Augustus a senatu uocatus, ut turbas de consulis creatione exortas compesceret, Romam rediit, cum alios honores sibi oblatos reiecisset, morum praefecturam quinque annorum recepit *καὶ τὴν ἐξουσίαν τὴν τῶν τιμητῶν ἐς τὸν αὐτὸν χρόνον, τὴν δὲ τῶν ὑπάτων διὰ βίου ἔλαβεν.* De uerborum fide externa, ut ita dicam, nulla, quod quidem sciamus, dubitatio est; nec ulla in eis significationis ambiguitas inest. Nam qui 51. 19 scripsit: *καὶ τὸν Καίσαρα τήν τε ἐξουσίαν τὴν τῶν δημάρχων διὰ βίου ἔχειν,* et 53, 32: *καὶ τῇ ἐξουσίᾳ τῇ δημαρχικῇ ἐχρήσαντο,* qui plane eodem significatu *ἐξουσίας* uocabulo sexcenties usus est, cum quidem apertum est, ***nisi ostendere uoluisset, Augustum consularem accepisse potestatem, non scripturum fuisse:*** *τὴν τῶν ὑπάτων διὰ βίου ἔλαβεν.* Quid, quod idem Caesarem ***quasi quadam perpetua tribunicia potestate*** ornatum fuisse significaturus sic scribit 42, 20: *τήν τε ἐξουσίαν τῶν δημάρχων διὰ βίου ὡς εἰπεῖν προσέθετο,* addens statim munera Caesari oblata, quibus maxuma tribuniciae potestatis pars contineatur. Neque igitur fides infringetur Dionis eo, quod Caesarem tribunicia potestate usum tradat, aperte contra dicente Tacito III Annal. c. 56, qui tribuniciae potestatis perpetuae nomen ab Augusto repertum scribit, uerborumque usus et significatio apud Dionem maxume perspicua et plana uidebitur. Leue igitur Loebeli conamen est, illo loco, unde exorsi sumus, uerba *ὡς εἰπεῖν* intercidisse coniicientis, ut non consularis potestas, set quasi quaedam consularis potestas ostendatur. Nec debebat idem neglegere, quod Dio 42, 20. post uerba supra citata statim caussali coniunctione usus explicat, quae munera in Caesarem collata sint, ut uideri posset quasi quandam tribuniciam potestatem accepisse, contra 54, 10. ex ui et significatione consulatus conclusionem aptans, quid Augusto tributum sit, adiicit; eademque plane dicendi ratione utitur 53, 32., ubi proconsularis potestatis mentio fit. Set eidem Loebelio fides uidetur minui Dionis etiam eo, quod nusquam consularis Augusti commemoretur potestas, maxumeque id mirum accidere, quod Suetonius, diligenter consulatus Augusti omnis enumerans, hac de re taceat. Qua de re ut recte statuatur, redeundum est

primum ad illam Taciti memoriam III Annal. 56, ubi haec extant: Id summi fastigii uocabulum — tribuniciam dicit potestatem — Augustus repperit, ne regis aut dictatoris nomen adsumeret ac tamen appellatione aliqua cetera imperia praemineret". Uerum consulatus summus rei publicae honos erat; cetera igitur imperia ut praemineret, consulatus perpetuus gerendus siue consularis potestas perpetua adsumenda erat. At Tacitus, quantus quamque idoneus auctor! hoc eodem consilio tribuniciae potestatis uocabulum ab Augusto repertum scribit. Constat praeterea, quoniam a potiore fit denominatio, Augusti annos imperi a tribunicia potestate fuisse appellatos, de quo cfr., si placet, Fast. cap. ad ann. 760. 761. alios. Constat etiam, quos quasi adiutores imperi habere uoluerit, tribunicia esse ornatos potestate. Scilicet consulatus antiquae rei publicae summus erat magistratus; posterioribus rei publicae temporibus et statu rerum mutato et singulorum adrogantia potestas tribunorum tanto opere aucta erat, ut consules senatumque adeoque populum ipsum anteirent, quae fere Niebuhri uerba sunt Hist. Rom. I. p. 695. ed. III., qui ibidem p. 680 docet, plebeios, quo tempore in sacro monte uersantes id ecfecerint, ut sacrosancti fierent tribuni, uix animo prospexisse, fore, ut is magistratus sensim praecipuam, deinde infinitam in re publica potentiam adipisceretur, idoneam illam aeque ac necessariam ad principatum condendum. Non debet igitur mirum uideri, rem non ita magnam nusquam praeterea memoriae traditam esse. Set quod Suetonius nominatim adfertur, de eo sic existumandum est. Possumus enim satis multa proferre, quibus Suetonius in Augusti rebus narrandis ita a Dione discrepat, ut ab hoc uera tradita esse appareat, quae quidem maxumam partem explanata aut significata Casaubono sunt. Set exempli caussa ponimus pauca. Cap. 17 haec leguntur: remisit tamen hosti iudicato necessitudines amicosque omnes, atque inter alios C. Sosium et Cn. Domitium, tunc adhuc consules". Antonium hostem non iudicatum, set Cleopatrae bellum indictum praeter Dionem 50, 4 et 6 Zonaramque 10, 28 Plutarchus aperte tradit Anton. c. 60: *ψηφίζεται Κλεοπάτρᾳ πολεμεῖν, ἀφελέσθαι δὲ τῆς ἀρχῆς Ἀντώνιος, ἧς ἐξέστη γυναικί.* Tum ne id quid uerum est, quod Antonio, postquam hostis iudicatus esset, necessitudines amicosque omnis remisisse dicitur. Ordo rerum hic erat. Consules C. Sossius et Cn. Domitius Romam reliquerunt, postquam Octauiano resisti Romae non posse intellexerunt. Quorum unus,

Cn. Domitius ubi cum M. Titio et L. Planco, Cleopatra ut remoueretur, frustra ab Antonio petiit, Octauia eodem tempore reiecta, hi quidem ad Octauianum transierunt, cum alia in Antonium contumeliose coniicientes, tum, ubi testamentum Antonii esset, indicantes. Quo publice recitato, bellum cum Cleopatra gerendum decretum est. Sic perspicue haec exposita sunt non tantum a Dione 50, 1 — 6, set etiam a Plutarcho Anton. 56 — 60; cfr. Drumann. Hist. Rom, I p. 467 — 471. Suetonium igitur nec rerum ordinem seruasse falsoque tradidisse, Antonium hostem iudicatum in aperto est. Apud eundem c. 22 haec extant: bis ouans ingressus est urbem, post Philippense et rursus post Siculum bellum". Altera ouatio quia non tantum *post* set etiam *propter* bellum Siculum Octauiano decreta est, u. Dion. 49, 15, Suetonius existumandus est dicere, prima ouatione honoratum esse eundem et post et propter bellum Philippense. Set is quidem error est; cum memoria Fastor. Capit.: imp. Caesar diui f. C. n. IIIuir r. p. c. ou. — . . . . . quod pacem cum M. Antonio fecit" — significatur pax Brundusina — congruit Dio 48, 31. Quod bis tantum ouantem urbem ingressum tradit, confirmatur auctoritate summa Monum. Ancyr. tab. I, ut Cassius Dio, qui 54, 8 tertiam ouationem commemorat, post signa a Parthis reddita decretam, decretam potius quam habitam significasse uideatur, cfr. Drum. I p. 424. a. 71. — Denique non praetermittendum est, in Monum. Ancyr. plane haec haberi tab. II. l. 5 et proxumis: alterum *consulari cum imperio* lustrum censumque solus feci Censorino et Asinio cos. — — tertium *consulari cum imperio* lustrum conlega Tibe. Caesare feci Sex. Pompeio et Sex. Appuleio cos . .

Restat, ut Taciti quoddam testimonium de Augusti principatu examinemus. Aput quem cum haec sint scripta I Annal. c. 2: posito triumuiri nomine consulem se ferens, et ad tuendam plebem tribunicio iure contentum, ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, insurgere paulatim, munia senatus, magistratuum, legum in se trahere, nullo aduersante," Loebelius inde collegit, duas fuisse easque satis diuersas Augusti principatus partes, quarum priore quam maxume sese ad rem publicam accommodasset, posteriore liberius exercuisset imperatoriam potestatem; atque hanc quidem alteram initium habuisse a consulatu spreto. Magna sane Taciti est auctoritas; set Dionem temere omnia miscuisse, quae de

Augusto narrat, plane incredibile est. Atqui Dionem si audimus, munia certe senatus maxumam partem Augustus in se traxit, omnemque rei publicae administrationem constituit eo tempore, quo primum rem publicam se redditurum significauit, h. e. quinto sexto septimoque consulatu 724=725 — 726 = 727, tribunicio autem iure anno demum 731 = 732 ornatus est. Deinde ab hoc anno illi, quibus seditiones consulares exortae sunt, nisi unius anni interuallo non distant; sunt enim anni 733 = 734 et 734 = 735. Iam cum Tacitus prima illa imperi parte, quam describere uidetur, tribunicium ius contentum esse uelit, alteraque doceat *paulatim* insurrexisse Augustum, aperte cum Tacito Loebelius pugnat, qui duobus annis post tribuniciam potestatem acceptam Augustum statuat uel ultumum periculum subeundo eo adducere uoluisse Romanos, ut non iam consulatum principi necessarium existumarent, liberiusque dominandi uia muniretur. Tantum igitur abest, ut Taciti testimonio Loebeli confirmetur sententia, ut uel eo plane eleuetur. Neque ulla alia re comprobatur illud, quod post 734 = 735 licentius dominatum esse Augustum Loebelius autumat. Immo uero, qui paulatim insurgens munia senatus magistratuum legum in se traxerit, eum quidem annorum decursu et potestatem augere et, id quod etiam grauius est, magis magisque confirmare, ueriusque in dies imperatorem fieri, naturae rerum quam maxume consentaneum est; aucto autem confirmatoque imperio licentius dominari in imperitum hominem cadat aut crudelem, non in Augustum.

Iam paucis ut complectamur, quae disputata nobis sunt, consulatum Augusti aetate nihil fuisse nisi uocabulum ostendimus. Ex quo consequitur, quae uolgaris sit de Augusti principatu opinio, eo, quod consulatus ab eo spretus est, non infringi. Altero loco Augustum maxume prudenter atque circumspecte egisse declarauimus, nec igitur umquam in animo habuisse imperi sedem Troiam transferre. Ex quo illud apparet Augustum numquam id egisse, ut Romanis quasi ob oculos poneret, se re publica esse maiorem, ac ne consulatum quidem ob eam rem umquam ab eo reiici potuisse. Tertio loco Dionis narrationem de consulari potestate Augusto mandata firmam esse demonstrauimus. Ex quo uidebis, non temere scriptoris testimonium apertum coniecturae fallaci esse postponendum.

Quid ergo? Ad uolgaremne illam opinionem censes redeundum? Non

plane. Neque enim magistratus ipsos in se congessit Augustus, set potestatem eorum, ut magistratus ipsi iam non essent nisi uocabula. Qua quidem ratione tria ille consecutus est, primum imperium, quod concupierat, idque a nominis regi aut dictatori odio alienum, deinde ut, quia magistratus antiqui supererant, res publica et ipsa uideretur stare, postremo ut Romani non pauci magistratus gerentes possent sibi uideri rem publicam administrare. *Haec et tanta consequi, non ui et odio, set leniter et amice, id quidem Augusti prudentia dignissumum erat.*

Nachrichten vom Jahre 1836.

Lehrverfassung.

Quinta hatte außer den musikalischen Uebungen des Ordinarius und Cantor Magdeburg, sowie des Herrn Görmar, Organisten an der Hauptkirche, 30 Lectionen wöchentlichen Unterricht bei 6 Lehrern.

1. Latein 6 Stunden. Formenlehre nach Zumpt. Uebersetzen aus dem Lateinischen in das Deutsche und umgekehrt nach Blume's Elementarbuch. Dr. Klinkmüller.

2. Deutsch 4 Stunden. Orthographie nach Heyse's kleiner Grammatik. Ausdrucksvolles Lesen und Deklamiren; Gedächtnißübung. Wöchentlich schriftliche Bearbeitung eines vorher durchgegangenen, der Fassungskraft angemessenen Stoffes mit Correctur. Satzbildung und zugleich Denkübung nach Krause. Cantor Magdeburg.

3. Französisch 2 bis 3 Stunden. Nach Sanguin, in der Folge Hirzel, Einübung des Artikels, avoir, être, Zahlwörter, Pronoms, Lesen. Dr. Moser.

4. Religion 2 Stunden. Nach Luther's Katechismus. Diac. Rehfeld.

5. Rechnen 5 Stunden. Tafel- und Kopfrechnen bis zur Regel de tri mit und ohne Brüche. Herr Thiemann, vocirter erster Lehrer an der hiesigen Bürgerschule.

6. Geschichte 2 Stunden. Die merkwürdigsten Begebenheiten der Welt nebst chronologischer Tabelle nach Bredow's kleinem Handbuche. Cantor Magdeburg.

7. Geographie 2 Stunden. Preußen und die angrenzenden Länder nach Stein. Cantor Magdeburg.

8. Naturgeschichte 2 Stunden. Botanik, Mineralogie, Ornithologie und Entomologie nach Schubert's Lehrbuch und Sammlungen des Docenten Archid. Kirchner.

9. Schreiben und Zeichnen 4 Stunden. Herr Thiemann.

Quarta wurde von 5 Lehrern mit 30 Lectionen versorgt. Dazu kamen noch 4 Stunden in theoretischer und praktischer Musik. Ordinarius Dr. Moser.

1. Latein 6 Stunden. Formenlehre nach Zumpt's Auszuge bis zur unregelmäßigen Conjugation. Lectüre des Corn. Nepos vom 19ten Feldherrn bis Ende. Uebersetzen aus dem Deutschen nach Gröbel durchaus. Dr. Klinkmüller.

